

illi Conditioni Projecti Contractus struendae Vukovarino seu ab inferiori Danubio versus Flumen viae ferreae per SS. et OO. diaetaliter congregatos ex postremis Comitiiis altefatae Suae Majestati Sacratissimae substrati insertae, quod ab hac via ferrea nullos laterales ductus in directione versus Tergestum (adeoque nequidem scopo jungendae cum eadem via ferrea Comitatus Zagrabienensis) struere liceat, regiam Sanctionem suam in illa extensione prout proposita est, velut regnis his praejudiciosae haud tribuere dignetur.

Articulus Trigesimus Nonus.

De Libera Regiaque Civitate Segniensi ad privilegialium suum Statum benigne reponenda et Portu ejusdem reconstruendo.

Quandoquidem nomine Liberae Regiaeque Civitatis Segniensis petium illud sub praesenti Regni Congregatione interpositum fuisset, ut antiquissima haec Civitas ex usu privilegialium suorum Jurium et administrandorum conspicuorum suorum reddituum exturbata, ac ad unius sterilis duntaxat Comunitatis Militaris Cathoriam reducta, privilegiali suo statui tandem restituatur, portus item Segniensis ex notabili titulo daciarum vini a singula urna in 43 xr. unice in scopum reconstruendi portus adaucto et annue ad aerarium Militare cum 40000 fl. M. C. influente, proventu eo magis restauretur, quod etiam ex elevato recentioribus temporibus in 50 xr. penes singulum Centenarium salis praetio in sola Civitate Segniensi ad aerarium Regium annue 80000 fl. C. M. inferantur. — Petito huic ex parte Civitatis proposito conformiter SS. et OO. Regnorum horum homagialem Repraesentationem Suae Majestati Sacratissimae substernendam esse, eo promptius adinvenerunt, quo certius constaret, praeces has nomine Regni semel ac iterum tam ex Regnicolaribus Congressibus, quam et generalibus Comitiiis promotas imo et in serie praeferentialium gravaminum ac postulorum hactenus incassum adursas fuisse.

(Caeteris exmissis.)

Originale in Archivo Regni Croatiae.